

1753

P O L E M I C I.

1754

tur fol. ult. vacuo: Anno domini MCCCCLVIII^o feria ante translacionem Sancti Wenceslai I. in XLma ante dominicam Oculi Georgius de Cunstat sublimatus est in Regem Bobemie per Barones nobiles et Ciuitates.

CCCCXLIV.

560 Codex partim membraneus, partim chartaceus, lat. Sec. XV. Folior. 226. 4. currente calamo scriptus, rubricisque distinctus est Pars I. Harmoniae sive Concordiae Evangelicae, cuius Autor, cum frequenter Job. Wicleffum cum proprio, tum Doctoris Evangelici nomine adpellet, ad Bohemiam Partesque Hussiticas pertinet, et fortassis, ut ad Exemplum mutilum Cod. CCCCXLVII. prolatum suspicionem movi, ipse Hussus est. Titulus Operis: Incipit prefacio siue arenga ad accessum in Matheum. Hoc tenore: In dei nomine. Amen. Quia karissimi, ut nostis res magna manibus nostris se offert, que vires nostras nimium excedit &c. Ideo ad fiduciam in Deum conferendam, fundendasque preces hortatur. Posthaec Prolegomenon instar tractantur hae duae Quaestiones: Vtrum scriptura sacra per prophetas et apostolos de Christo deo et homine vero scripta pro omni sua parte quo ad sensum literalem sit vera. Et: Vtrum sicut partium scripture sacre datur convenientia, ita earum poterit dari perfectione superaddita et differentia. Tum exposito Hieronymi in

Matthaeum Prologo Harmonia ipsa sic init: Lex seu doctrina evangelica perfectissima est, per se sufficiens ad regimen ecclesie militantis, cui non licet quicquam addere uel subtrahere &c. quam Thefin peculiari Opusculo a Job. Hussu propugnata habes Cod. nobis DCCCCLXVIII. et in Edit. Opp. ejus 1715. P. I. p. 55. Finitur haec Pars in expositione C. IV. Lucae v. 30. et subscribitur: Finis huius prime partis anno domini M^o. CCCC^o. XXXVII^o. feria II. in die felicitis martiris.

CCCCXLV.

Codex chartaceus lat. Sec. 561 XV. Folior. 169. 4. scriptus, uti praecedens, est Pars II. Harmoniae sive Concordiae Evangelicae, quae sic incipit: Postquam a principio corporis evangelici actum est de ingressu saluatoris nostri ihesu in hunc mundum per eius conceptionem et natiuitatem, et post hoc de eius progressu per hunc mundum per eius legislationem — iam agitur de eius egressu de hoc mundo per eius passionem. Hic itaque Historia Passionis usque ad Ascensionem Domini enarratur, fusius multo, quam quidem inter Opera Hussi P. II. p. 12. terminaturque pia Lectorum adhortatione, protestatione, lapsuumque deprecatione, cui subscriptum: Explicit Scriptum super Quatuor Evangelia Mathei videlicet Marci Lucae et Iohannis in unum concordata. Quod ad honorem dei et proximorum profectum